UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avrevs Adversus profanas Hæreseōn novationes

Vincentius <Lerinensis>

Coloniae, 1652

Redit ad Apostoli verba: Devitans prophanas vocum novitates. Caput XXXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-55177

Visual Library

rum decretis eniſa eſt; niſi ut, quid anteà ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentius crederetur? quod anteà lentiùs prædicabatur, hoc idem poſtea inſtantiùs prædicaretur? quod anteà ſecuriùs colebatur, hoc idem poſteà ſollicitius excoleretur? Hoc, inquam, ſemper neque quicquam præterea hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi ut, quod prius à majoribꝰ ſola traditione ſuſceperat, hoc deinde poſteris etiam per ſcripturę chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis literis comprehendendo: & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum, novę appellationis proprietate ſignando.

Redit ad Apoſtoli verba: Devitans prophanas vocum novitates.

CAPUT XXXIII.

SEd ad Apoſtolum redeamus: O Timothee, inquit, depoſitum cuſtodi, devitãs prophanas vocũ novi-

tates: devita, inquit, quaſi viperam, quaſi ſcorpionem, quaſi baſiliſcum, ne te non ſolum tactu, ſed etiam viſu affatúque percutiant. Quid eſt devitare? Cùm hujuſmodi nec verbum ſumere. Quid eſt devita? Si quis, inquit, venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert. Quam doctrinam? niſi Catholicam, & univerſalem, & unam eandemque per ſingulas ætatum ſucceſſiones incorrupta veritatis traditione manentem, & uſque in ſæcula, ſine fine manſuram? Quid tum? Nolite, inquit, recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis, prophanas, inquit, vocum novitates. Quid eſt prophanas? Quæ nihil habent ſacri, nihil religioſi: ab Eccleſiæ penetralibus, quæ eſt templum Dei, penitus extraneas Prophanas, inquit, vocum novitates: Vocum, id eſt, dogmatum, rerum, ſententiarum novitates: quæ ſunt vetuſtati, quæ antiqui-

ſpirati contrariæ. Quæ ſi recipian-
tur, neceſſe eſt, ut fides beatorum
Patrum, aut tota, aut certè magna
ex parte violetur. neceſſe eſt, ut
omnes omnium ætatum fideles o-
mnes ſancti, omnes caſti, continen-
tes Virgines, omnes clerici, Levitæ
& Sacerdotes, tanta Confeſſorum
millia, tanti Martyrum exercitus,
tanta vrbium, tanta populorum
celebritas & multitudo, tot inſulæ,
Provinciæ, Reges, Gentes, Regna,
Nationes, totus poſtremò jam pe-
nè terrarum orbis, per Catholicam
fidem Chriſto capiti incorporatus,
tanto ſeculorum tractu ignoraſſe,
erraſſe, blaſphemaſſe, neceſſe quid
crederet, pronuntietur.

CAPUT XXIV.

PRophanas, inquit, vocum novi-
tates devita, quas recipere atque
ſectari nunquam Catholicorum:
ſemper verò hæreticorum fuit. Et
revera, quæ unquam hæreſis, niſi
ſub certo nomine, certo loco, certo

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN